

# humanitas

Vol. I

IMPRENSA DA UNIVERSIDADE DE COIMBRA  
COIMBRA UNIVERSITY PRESS

FACULDADE DE LETRAS DA UNIVERSIDADE DE COIMBRA  
INSTITUTO DE ESTUDOS CLÁSSICOS

---

# HUMANITAS

VOLUME I

PUBLICAÇÃO SUBSIDIADA PELO «FUNDO  
SÁ PINTO» (UNIVERSIDADE DE COIMBRA)

COIMBRA // MCMXLVII

## Idyllium (!)

*Ante pias cunas, ubi nuper missus ab alto  
Infans caelo alget, nitidis uariisque decoras  
luminibus, multo clamore corona meorum  
natorum blandis indulget lusibus. Vxor,  
stamina dum niueae nectit subtilia lanae,  
ludentes spectat, uiuo et moderatur amore.*

*Hic est Franciscus qui, quamuis tantulus adsit  
— nuper sex annos expleuit —, uoce minisque  
rex, dum ludorum uis feruet, duxque uidetur.  
Nam legere edidicit, manibusque uolumina paruis  
intentus uersat, tacitus gaudetque figuris,  
queis exornantur magnorum gesta priorum  
uel pueri illius, maior cui nasus in horas  
crescit mendaci. Quam multa ignota repente  
me rogat ut pandam, wmo quae pandere possit!  
Annamaria leuis currit, canit, exilit atque*

*haud Helenam cessat paruam incusare sororem,  
 quae magnis oculis fulget facieque tenella.  
 Paruuus eques equitat plerumque Georgius apto  
 stipite; cuncta cupit, rapit omnia et angulus omnis  
 continuo resonat gemitu balbisque querellis,  
 si, quod habere uelit, negitetur forte potenti.  
 Candida brachiolis teneris roseisque labellis  
 natorum in cunis postrema, Renata, quiescit.*

*Gaudia quanta capit puerum mea blanda corona  
 si uocat uxor y auens Pueri ad praesepia lesu  
 notas fabellas iterum narrare pusillis !  
 In gelidis Infans stabulis tacet ora supinus:  
 allicit ac tenui uix risu brachia tendit.  
 In Natum Genetrix sanctos demittit ocellos  
 laetitiaque colit dina perfusa Iacentem.  
 Vt bellus pueris paruus Puer ille renidet,  
 saeptus qui paleis brumali algore tremiscit!  
 Mons est hic illuc plenus pastoribus : arcto  
 tramite procedunt, et circum carmina quisque  
 fundere siluestri certat modulatus auena.  
 Munera parua, tulit nuper quae cultus agellus,  
 impositasue umeris referunt, sua dona, bidentes.  
 Est qui caelestem lucem ceu tactus amore  
 spectet, dum limat manibus quam uisere ocellis  
 haud ualet. Est flumen stellarum lumine fulgens  
 atque procul stagnum nitida protenditur unda.  
 Tum uolitans caeli laetus per summa uagatur  
 angelicus passim coetus ducitque choreas  
 et celebrat diuo demissum ex aethere Natum.  
 Quae loca sancta tenet pax iucundissima. Longo  
 at foris interea exululat cum turbine uentus  
 undarumque fragor minitantum...*

«Mamma —puellus  
*maximus, at membris tantillus murmurat—, unde,  
 dic bona, uenerunt, stella praeeunte, //rs ?  
 Nonne suas sedes auro et fulgore micantes  
 deseruere pii? aut quae, mater, dona tulerunt?»  
 Cui mater: «Magnas, procul, in regione remota,  
 magnificas que urbes reges habitare solebant  
 cum, Puerum ut genitum casta de Virginis aluo  
 excoherent, subito regnis domibusque relictis  
 pignoribusque, premens patientis quisque cameli  
 terga, uiam qua stella nitens per inhospita longam  
 monstrabat, gressus laetus direxit et ardens.  
 Montes tranarunt, tranarunt flumina, siluas  
 et loca densa feris et nocturno ululatu,  
 et/sua quisque Illi portabant maxima dona.,. » —  
 «Quae, sodes?» — «Currum num censes, armaue equumue?  
 Non amat ille Puer turmas ad bella ruentes  
 atque odit gladii districti fulgura et ignes.  
 s̄/ pondus, turis, myrrhaeque tulere.  
 Af/Vo incedebant peplorum syrmate onusti,  
 àm longa cohors, reges utrimque sequuntur  
 et praebent aures serui gnauique ministrant.» —  
 Hic subito Anna refert: «Puero sua dona magorum  
 magna corona tulit; sed bellula praemia nobis  
 mox feret ipsa sinu tranquilla nocte Be fana.  
 Nonne ita, mamma?» — «Mihi morem si gesserit usque  
 seque bonum quis praestiterit nec uerba rogatus  
 patri uel mammae mendacia dixerit unquam,  
 si cito paruerit, quidquid iussere parentes,  
 tunc ueniet, pupi... » — «Dictis parebimus omnes  
 semper, mamma, tuis!» — «... et bellula praemia uobis  
 sopitis mox illa feret, dum nox uiget... » — «Eia!»  
 conclamant uoce una hilares uultuque beati,*

*Implicitis manibus choreas hic ducere blandas  
incipiunt celeri tamquam certamine moti,  
et teneris fundunt puerilem uocibus hymnum (1).*

*Caecis tenebris ululat uentus  
nullumque polo praenitet astrum.  
Vox auditur, properantque gradus:  
curuis umeris anus ecce uenit!  
Propera ad pueros — quisque uocat te —,  
blanda Be fana.*

*Faciem illius maculant rugae  
atque labant iam reliqui dentes;  
claudis graditur pedibus noctu. ..  
Audeat at quis dicere turpem ?  
Propera ad pueros — quisque uocat te —,  
cara Be fana.*

*Quidquid pueris gratum, illa ferat :  
crustula dulci perlita meile,  
ualeant tum quîs ludere pupi  
in calceolis nocte relinquat.  
Propera ad pueros, qui te uocitant,  
bella Be fana.*

*Dum laeti cantant, choreas et ducere pergunt,  
parua domus resonat. Dein matri quisque propinquat  
ut uolucri pullus Sy plumarum captus amore,  
fundit per mundum cum nox sub fusca tenebras.  
Interea crepitat per noctem tristior imber,  
exululat uentus, gemitusque ciere uidetur.*

(1) *Naenias imago notas haec anapaestica cantiuncula imitatur.*

«*Quid uis, Anna, ferat tibi anus rugosa?*» — «*Pusillam ipsa uelim pupam, bellam, flauamque capillis atque oculos tremula in gyrum cum uoce mouentem, sacchara, scriblitas, mellitaque crustula et...*» — «*Ohe, nonne satis ? ne multa roges, mea pupa, caue sis (uxor ait), uacuam ne te indignata petiis deserat.*» — *Hic addit Franciscus* : «*Non nimis illam, Anna, rogare licet; nam, si cuppedia multa praebueris cupidae, quamprimum febris anhela uentre laborantem lecto te affiget, ibique cogeris ricini graueolentem haurire liquorem.*

*Illa mihi portet, natu qui maximus adsim, permagnum rotulis binis se utrimque mouentem currum, tum binos fulua ceruice caballos, longum tum gladium, balistam, strenuus hostes qua pellam, tum tormentum quod missile iactet ; tum... Sed equum paruum, quem, mamma, Georgius ipse flectat, nonne feret? nam, ni ferat, ille per horas continuas flebit...» Cui: «*Singuli habebitis — inquit uxor — dona, sinu pueris quae nocte Be fana fert donanda, malos dum ne uos uiderit...» Omnes quae exoptant oculis spectant tum praemia fixis.**

«*Dicj mamma (Anna rogat): quo uultu est ista Be fana? nonne illi bini dentes ex ore resultant?*

*nonne mala est pueris, uigilant qui nocte quibusque nil unquam portat? nonne horret gibbere?*» Et *uxor* :

«*Est ita, nam semper longinqua ab origine totum consumpsit tempus pueris sua dona per urbes magnas, per montes* *Sj* *perque inuia quaeque ferendo.*

*Quantum iter ingreditur ! loculis quot praemia seruat, qui ex umeris pendent!* *Nodoso stipite nixa illa uias haud fessa terit spernitque quietem...» —*

«*It semper noctu ?» — «Semper; nam degere uitam gaudet tranquillam, nec eam quis conspicit, amplis in specubus tam longinquis uastisque cubiclis, tecta ubi scintillant gemmis et praenitet aurum. Hic quaecumque cupis custodit clauibus aureis, diuitiasque, domus quibus affluit illa, tuetur.*

*Tempus uix properat, /awo redeunte, quotannis, a s̄i a/m pueris censem tribuenda tenellis exoptata diu sua praemia, sumere, inanis quae e muris pendet, peram, donisque replere, et baculo noctis nodoso innixa per umbras fuscum carpere iter... » — «S̄i dic, mamma, per umbras noctis nil timet illa uias hiememue rigentem ?» — «Nescio... 7"5/ g'Wtfs uigilantes nocte puellos illa uidet, transit nec ponit dona. ... » — «5W /7/a nunquam nos uigiles (conclamant uoce) uidebit.» —*

«ÆV dabitI» Ridere beati tunc omnes. Mox Franciscus sic incipit: « A t<sub>f</sub> cum ualuae sunt clausae, quī possit inire Be fana nocte domos? Init illa tamen. Z)/ζ;. nonne caminum per magnum lentis pedibus descendit et intrat ?» — «.Est ita: descendit paulatim per que cubicla incedity pueris suspendit praemia et implet calceolos prope lectum et cèruicalia donis ut primo eniteant optata crepundia mane; donis tunc positis gaudet taciteque recedit ut pueris aliis sua praebeat.. .» — « Omnibus illa, dic, genetrix, sua dona gerit?» — «Non semper eadem inuigilat miseris cura; namque est ubi saeuam pauperibus sese ostendat nullumque relinquat exiguum munus.» — «Dabimus sed nostra misellis ipsi, mamma, malo si pectore nulla Be fana illis attulerit munuscula...» — «Praemia, mamma.

*unde sed illa cápit?» — «Fortunae munera pandit.  
 Aurea namque patet Fortunae capsae beatae,  
 unde trahit quidquid pueris praebere benigna  
 uult ea nocte suis. Peram replet, inde per omnes  
 oras ferre pedes gaudet sub pondere nitens  
 et niuibus tranat congesta cacumina, montes,  
 innumerasy urbes : pedibus namque omnia lustrat  
 praepetibus ; cernit si paruum fulgere lumen,  
 praeterit; at, somno si condita tecta domorum  
 despiciat, se illuc motu rapidissima confert  
 eque nigro, ne quis praesentiat, illa camino  
 sensim descendit pueris uaga dona datura.  
 Si quis eam uigilans sub stratis fallere opertus  
 ausus erit, tunc illa procul fugiet cito, doni  
 nec quicquam linquet; cineres prunasque uidebit,  
 clara fulgebit utx Phoebus luce, et amare  
 immunis flebit...» — «Vetulam sed uisere, mamma,  
 cum tibi, dic, licuit?» rogitant. «Mihi uisere nunquam  
 fas fuit; in somnis, essem cum paruula, uidi,  
 ut uos uidistis, mox atque uidebitis ipsi. ..»*

*Nox ruit. In nigro longe tonat aethere, raucusque  
 exululat uentus, gemitus et sibila iactans.  
 Paulatim pueris somno clauduntur ocelli  
 cumque suis donis, innixam stipite, forsan  
 in somnis spectant uetulam properare Befanam,  
 cum, tremulo missis uagitus ore, Renata  
 lac mamuae exoptans tranquilla silentia rumpit.*

los. MORABITO